Quelle: https://manuscripta.at/?ID=232
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



8

in occultis ut interficiat innocente. Oculi eius in pauperem respiciunt insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem rapere pauperem dum attrahit eum. In laqueo suo humiliabit eum inclinabit se et cadet cum dominatus fuerit pauperis. Dixit enim in corde suo oblitus est deus avertit faciem suam ne videat in finem. Exurge domine deus exaltetur manus tua ne obliuiscaris pauperis. Propter quid irritauit impius deum dixit enim in corde suo non requiret. Vides quoniam laborem et dolorem considerasti ut tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus est pauper orphano tu eris adiutor. Contere brachium peccatoris et maligni quaeretur peccatum illius et non inuenietur. Dominus regnabit in eternum et in saeculum saeculi peribitis gentes de terra illius. Desiderium pauperis exaudiuit dominus preparationem cordis eorum audiuit auris tua. Iudicare pupillo et humili ut non apponat ultra magnificare se homo super terram. Alia.

In domino confido quomodo dicitis animae meae. Psalmus

Transmigra in montem sicut passer. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum paraverunt sagittas suas in pharetra ut sagittent in obscuro rectos corde. Quoniam quae perfecisti destruxerunt iustus autem quid fecit. Dominus in templo sancto suo dominus in celo sedes eius. Oculi eius in pauperem respiciunt palpebre eius interrogant filios hominum. Dominus interrogat iustum et impium qui autem diligit iniquitatem odit anima sua. Pluit super peccatores laqueos ignis sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum. Quoniam iustus dominus et iustitias dilexit equitatem uidit vultus eius. Alia p. Ant. Domine deus meus in te speraui. Ps.